

„latos parvulis fuisse, quamvis quid esset, aliqua necessaria  
 „causa, Scriptura latere voluerit. Si autem quæras, quare  
*Doctor* pro parvulis Sacramentum aliquod, ad delendum ori-  
 ginale peccatum agnoscat, non pro adultis ad illos justifi-  
 candos, respondemus, non eandem parvulorum & adulto-  
 rum fuisse conditionem. Parvuli quidem non poterant se  
 propriis actibus justificare: adulti contritione, auxilio super-  
 naturalis gratiæ elicitæ, poterant ex Dei misericordia justi-  
 ficationis gratiam obtinere, si tamen fides in ipsis fuisset  
 Servatoris nostri in carne venturi.

§. III. Jam de lege scripta, seu de illo Judæorum sta-  
 tu, quem a data Moyfi lege duxisse initium, & usque ad  
 Evangelicæ legis emanationem perdurasse constat, procul  
 dubio tenendum est, sua habuisse Sacramenta, eaque multa;  
 nam præterquam quod *Tridentina Synodus Sess. VII. Can. II.*  
 novæ legis Sacramenta a Sacramentis veteris legis differre  
 decernit, qua loquendi ratione mentem suam, & totius Ec-  
 clesiæ consensum circa existentiam Sacramentorum Vetus Te-  
 stamentum satis superque declarat: id ipsum pariter ex *Augustino*  
*l. 19. contra Faustum* plenissime patet. „Sacramenta, inquit,  
 „veteris legis ablata sunt, quia impleta, & alia instituta sunt  
 „virtute majora, utilitate meliora, numero pauciora. Ex  
 Sacramentis autem veteris legis, circumcisio, vel remedium  
 illud in lege naturæ institutum pro parvulis, quod & in  
 lege scripta pro parvulis, qui ante octavum diem decede-  
 bant, & pro femellis perseverabat, Baptismi Sacramento re-  
 spondebat. Esus Agni Paschalis & Panum Propositionis,  
 Eucharistiæ: Purificationes, Pœnitentiæ: Inaugurationes Sa-  
 cerdotum & Levitarum, Sacramento Ordinis. Nullum au-  
 tem antiquæ legis Sacramentum Confirmationi, Extremæ  
 Unctioni, & Matrimonio respondebat, quia Confirmatio est  
 Sacramentum plenitudinis gratiæ, & tempore legis scriptæ  
 plenitudo gratiæ nondum advenerat. Extrema Unctio est  
 præparatio ad introitum gloriæ, & tunc gloriæ aditus non-  
 dum patebat. Matrimonium castissimos amplexus, & con-  
 junctionem Christi cum Ecclesia significat, & tunc Christi  
 cum Ecclesia conjunctio nulla erat.